

## **1401 novembre 26. Monestir dels predicadors de Puigcerdà**

*Joan de Masguillem, batxiller en decrets, com a lloctinent de Pere Berenguer, jutge del patrimoni reial en els comtats de Rosselló i Cerdanya, dicta sentència en el plet que enfronta Andreu Isògol, render de les rendes dels drets reials de la vall de Querol, i els andorrans, representats per Joan Garreta, Arnau Berenguer i Joan Babot, per raó del pagament de la lleuda de la vall de Querol. La sentència reconeix els drets dels andorrans i ratifica que són francs i quitis del pagament d'aquesta lleuda.*

O. Andorra la Vella, AHN/ACAnd, perg. núm. 5347. Document en estat de conservació regular a causa dels plecs del pergamí.

a. VELA, *Diplomatari*, doc. 3. pàgs. 61-63.

In Dei nomine. Noverint universi [*quod*] questionem, debatum et controversiam motum et motam fuisse et suscitatum septima die mensis novembris, anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo primo, coram venerabili Iohanne de Mansoguillelmi, bacallario in decretis, locumtenente honorabilis et circumspecti Petri Berengarii, decretorum doctoris, iudicis patrimonii domini regis in comitatibus Rossillionis et Ceritanie, inter Andream Ysògol, renderium reddituum et iurium regionum in valle de Querol terre Ceritanie, ex una parte, et Iohannem Garreta, Arnaldum Berengarii et Iohannem Babot, vallis Andorre, ex parte altera, ea ex causa quia dictus Andreas dicebat et asserebat omnes homines dicte Vallis teneri ad solvendum lezdam in loco de Querol de omnibus rebus eorum etiam et de bestiariis que alibi, extra dictam Vallem, emunt, excepto quod dixit et confessus fuit homines de Encamp et de Caniyeu esse franchos et quitios tamen non solvendi lezdam de bestiariis que ipsi nutriunt seu nutriuntur in dicta Valle, dictis vero Iohanne Garreta, Arnaldo Berengarii et Iohanne Babot, nomine ipsorum et aliorum hominum omnium dicte Vallis, dicentibus et allegantibus ipsos et omnes predictae Vallis homines ad id non teneri, ymo fore ipsos in usu et possessione non solvendi dictam lezdam de rebus et bestiariis eorum in dicto loco de Querol, paratos se offerentibus termino congruo ipsis prefixo ea probaturos. Super quibus dictus venerabilis locumtenens iudicis volens summarie et de plano procedere ad probandum per eos asserta, dictis Iohanni Garreta, Arnaldo Berengarii et Iohanni Babot, pro una parte, et dicto Andree Ysògol, pro parte altera, diem mercurii proximam assignavit et interim utrique eorum ad interessendum de die in diem pro videndo iurare testes per utramque producendos super premissis. Et postmodum testibus pro parte

dictorum hominum productis et receptis eorumque dictis et attestacionibus publica[tis] assignatoque dicto Andree Ysògol ad obiciendum contra dicta et attestaciones testium pro parte predictorum hominum de Andorra productorum, contra quos obicere idem Andreas se minime velle dixit. Sequenter [ipsis] ambabus partibus auditis ad plenum in omni eo quod coram dicto venerabili locumtenente iudicis dicere et allegare voluerunt super predictis causaque et questione ad articulum sentencie devolutis, die iovis intitulata vicesima quarta dicti mensis novembris, anno predicto, precedente alia assignacione, idem venerabilis locumtenens iudicis ad audiendum sentenciam et declaracionem de et super premissis utriusque partium predictarum diem sabbati proximam assignavit. Qua die sabbati superius assignata adveniente, que fuit vicesima sexta dicti mensis novembris, anno predicto, dictus venerabilis locumtenens iudicis, existens infra monasterium fratrum predicatorum Podiiceritani, more iudicis iudicantis, sacrosanctis Dei quatuor Evangelii coram ipso positis, ad instanciam superius nominatorum Iohannis Garreta, Arnaldi Berengarii et Iohannis Babot, nominibus predictis sentenciam ferri postulantium, altera parte absente, ad proferendum suam sentenciam super premissis processit per modum sequentem:

Unde nos, Iohannes de Mansoguillelmi, bacallarius in decretis, locumtenens honorabilis domini Petri Berengarii, decretorum doctoris, iudicis patrimonii regii in comitatibus Rossillionis et Ceritanie: visa et recognita requisicione et exposicione coram nobis facta per dictum Andream Ysògol, renderium reddituum regionum vallis de Querol; visisque, attentis et consideratis racionibus et allegacionibus factis per ipsum Andream Ysògol; visisque, attentis et consideratis responsionibus et allegacionibus factis dictis et allegatis pro parte dictorum Iohannis Garreta, Arnaldi Berengarii et Iohannis Babot, dicte Vallis; visisque, attentis ac recognitis replicacionibus seu responsionibus ad raciones et allegaciones hominum dicte Vallis factis et dictis per dictum Andream Ysògol, renderium supradictum; visisque et recognitis aliis verbis et racionibus hinc inde dictis et allegatis; attento et considerato quod dicta vallis de Andorra est et esse dicitur infra et intus limites terrarum domini nostri regis Aragonum; visisque, attentis pariter et consideratis atque ad plenum recognitis testibus productis pro parte dictorum hominum dicte vallis Andorre, nomine quo supra productis, et per nos receptis, et eorum attestacionibus atque dictis diligenter recognitis; visisque, attentis et consideratis attendentis, videndis et considerandis et que dicte partes dicere, producere et allegare voluerunt, tam verbo quam scriptis. Sedentes pro tribunali more solito iudicis iudicantis, Deum pre oculis habentes et eius sacrosanctis Evangeliiis coram nobis positis et reverenter inspectis, ut de vultu Dei

[nostrum prodeat iudicium et oculi mentis nostre] in hiis et aliis semper videantur equitatem, signante[s] nos [signo] venerabilis sancte crucis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen, die presenti ad hanc sententiam audiendam dictis partibus assignata, quam iterato ad cautelam pre[cise et peremptorie eisdem assignamus, ad] hanc nostram diffinitivam sententiam, quam ferimus in hiis scriptis, procedimus in modum qui sequitur:

«Cum constet nobis, locumtenenti predicto, intencionem dicte Andree Ysògol, renderii predicti, in [predictis non] fuisse nec esse fundata, [cum constat] nobis plene et sufficienter de intencione dicti Arnaldi Berengarii et superius nominatorum et ceterorum hominum dicte vallis d'Andorra, videlicet, quod homines dicte Vallis sunt franchi et quitii a solucione dicte leude, et sunt in usu et possessione vel quasi non solvendi dictam lezdam, pro tanto, hac nostra difinitiva sententia, quam ferimus in hiis scriptis, absolvimus dictum Arnaldum Berengarii et superius nominatos, tam nomine ipsorum quam ceterorum hominum dicte vallis d'Andorra, a solucione dicte lezde. Pronunciantes eos minime teneri ad solvendam dictam lezdam que solvitur et colligitur in valle de Querol et eos fore in usu et possessione vel quasi non solvendi eandem. Declarantes eos nec eorum aliquem minime de cetero inquietandos ad solvendum aliquid ratione dicte lezde. Mandantes et iniungentes dicto Andree Ysògol quatenus pignora et omnia capta et pignorata occasione dicte lezde prefato Arnaldo Berengarii et aliis quibuscumque dicte Vallis restituat atque tornet ipsis. In et super predictis ipsi Andree, renderio predicto, scilencium sempiternum imponendo».

Llata<sup>1</sup>, lecta et publicata fuit hec sententia per dictum venerabilem Iohannem de Mansoguillelmi, locumtenentem predictum, in domo sive monasterio fratrum predicatorum more iudicis iudicantis, ut predicatur, existentem, die proxime dicta, anno quo supra, in presencia dicatorum Iohannis Garreta, Arnaldi Berengarii et Iohannis Babot, et in presencia etiam et testimonio discreti Guillelmi Mulnerii, scriptoris ville Podiiceritani, fratris Michaelis Fuster, canonici monasterii Beate Marie de Cornilliano, terre Confluentis, et mei, Raymundi Fferrarii, notarii subscripti, qui requisitus hoc recepi.

Qua sententia lata et lecta, dicti Iohannes Garreta, Arnaldus Berengarii et Iohannes Babot petierunt et requisiverunt ibidem, incontinenti, de sententia eadem et de omnibus in ea contentis et aliis predictis eis, nominibus quibus supra, fieri et tradi publicum et publica instrumentum et instrumenta per me, dictum et subscriptum notarium, ad habendum memoriam in futurum, presentibus testibus proxime dictis et me, dicto Raymundo Fferrarii, notario subscripto.

Sig(*signe*)num mei, Raymundi Fferrarii, scriptoris officii procuracionis regie comitatuum Rossilionis et Ceritanie auctoritateque regia notarii publici per totam terram et dominacionem domini regis, qui premissis interffui eaque recepi scribique ffeci et clausi.

1. *En lloc de lata.*